

+ 96.11.1. c.

Orationes
Sylverstainianas

die XXIX. Maji MDCCCL.

hora IX. antemeridiana



in Gymnasii auditorio primae classis habendas

indicit

Carolus Theophilus Anton,

Philos. Doct. et Artium liberal. Mag., Theol. Baccal., Professor regius, Gymnas. Rect., Eques regii ordinis de aquila rubra quartae classis, et soc. lat. Jenens. nec non societ. Lus. sup. lit. sodal. honor., in soc. theotisc. Berol. cooptatus, ac Tusciae Academiis literarum atque artium, Aretinae, Pistoriensi et Mutilensi epistolarum commercio adjunctus.

Praemittitur brevis dissertatio de lingua graeca ad usum
literarum latinae praeferenda.

Gorlicii,
ex officina Heinziana.

990 5
(1850)

Quod multa antiquorum Anglorum, Gallorum et Germanorum scripta ne interirent, servavit, effecitque, ut iis etiam nunc non tantum uti, sed quoque sine molestia uti possimus, hoc est, quod vulgarem suae aetatis opinionem, omnia docte scripta latino sermone scribenda esse secuti, sua linguae latinae mandarunt. At homines docti, qui hodie vivunt, hanc consuetudinem non tantum negligunt, sed consulto adeo evitant, patriae amore in linguam patriam converso, quo suum esse putant, non literas tantum, sed literis quoque sermonem, in quo nati sunt*), excolere. Quum vero fieri non possit, ut omnes totius orbis terrarum incolae unam eandemque loquantur linguam, quum adeo singulis seculis ejusdem linguae mutatio eveniat, neque ejusdem terrae cives variis temporibus eodem plane utantur sermone, qui linguam sui populi ad res, quae ad literas pertinent, describendas adhibent, doctrina sua non nisi civibus suis sibi aequalibus consulunt, et patriae amore ducti amoris in homines officio adversantur, quia nec gentibus exteris neque posteris suae gentis prodesse student, certe iis laborem imponunt, quo supersedere facile possent, eos cogentes, ut linguam sibi peregrinam, quae ipsis scribentibus patria erat, addiscant. Quodsi Angli, Galli, Germani, Dani, Batavi, Hispani, Lusitani, Poloni, Russi et alii, qui literis operam dant, quae summo studio invenerunt et excogitarunt, sua lingua patria alios docent, quot linguarum cognitione opus est juveni, qui horum libris erudiri cupit! Si vero vetus mos obtinet, omnia,

*) Secundum Heusingeri editionem Ciceronis de offic. I. 31. 111. etiam dicere queas: sermonem, qui iis natus est, ut Curtius VI. 10. 23. habet: natus sermo. Sed legunt alii, ut Ernesti, Stürenburg: qui iis notus est.

quae ad literas amplificandas pertinent, latine scribendi, praeter patrium sermonem unum tantum addiscat opus est ad libros intelligendos, qui doctis legendi sunt. Qui vero omnium librorum graviorum argumentum in alias doctorum hominum linguas patrias transferri volunt, non videntur secum reputare, quidquid translatum sit, non plane reddere librum, qualis ab auctore profectus est. Quibus de causis ad eorum accedimus opinionem, qui ea, quibus doctrina amplificatur, lingua aliqua docta, qualis usu latina facta est, proponenda suis aequalibus posterisque esse censent, licet patrium sermonem minime spernamus, quod veteribus latine scribentibus non immerito vitio verti videtur.

Apparet ex his, nos eam linguam dicere doctam, quae doctis hominibus omnium terrarum ita cognita est atque perspecta, ut ei, quaecumque scripturi sint ad doctrinam pertinentia, committere queant, nec non ea intelligere, quae eidem ab aliis mandata inveniunt. At qualis lingua ad hunc usum aptissima sit, jam brevi hac commentatione demonstrare nobis liceat. Latina lingua diu inter doctos regnavit, primum quoniam a Romanis in reliquas Europae partes doctrina disseminata est, deinde quoniam Romanorum imperium magnam complexa est terrarum partem, ac denique quoniam sacra religionis christianae ipsa latino sermone administrari solebant, atque jus subtilius Europae nationes a Romanis repetierunt. Nobis tamen aptior ad usum doctorum graeca esse videtur. Nam primum majorem habet vocabulorum copiam, deinde omnis generis plures scriptores nobis tradidit, tum subtilitate constructionis verborum insignis est, quartum ingeniosa verborum compositione et festivo usu excellit, denique aptissima est ad res novas inventas apposite denominandas.

Sed priusquam ad has singulas virtutes graeci sermonis exponendas transeamus, opus est commemorare primariam linguae ad doctrinam accomodatae conditionem, ut non amplius sit in ore hominum. Si quis miretur, nos linguam, quae ex vita et consuetudine hominum abiit, (mortuam*) doctorum usui accommodatissimam statuere, quam mutare non liceat, quum viva contra, qua vulgus utitur, prout cujusque rei ratio jusserit, immutari ac rebus accommodari queat, et adeo, si lingua a doctis eligatur, quae multis eorum patria sit, ut germanica, anglica, gallica, magna doctorum hominum pars supersedere pos-

*) Similiter, sed non plane eodem significato Cicero Verrin. II. 5. 18. 45. leges mortuas dicit, quo vocabulo interpretatur praecedens: antiquae. Intelligit tales, quae non amplius valent, sed antiquatae sunt, ut de offic. II. 21. 73. legem antiquari dicit.

sit labore, quo ad linguam doctam addiscendam opus sit, nos quidem hac ratione commoditati discentium consulere non possumus eam ipsam ob causam, quod lingua vulgi mutationi obnoxia est. Quae igitur illi utilitas, ea nobis noxa esse videtur; nec temere. Aliquot enim seculis transactis quae in ore vulgi est lingua, novis verbis locupletata aliisque privata, quae obsoleta facta sunt, et significatione aliorum mutata ita variari solet, ut scripta ea olim concepta vel male intelligantur*), vel certe risum taediumque moveant. Est enim magna difficultas, si cupis ea perspicere, quae obsoletam sapiunt rationem loquendi, et ipsa obsoleta dictio tantum facile tibi affert taedium, ut librum e manibus abicias. Scripta germanica mediae quae dicitur aetatis optime cognoscimus ex latina versione, si iis adjecta est. Quamobrem qui patrio sermoni quae posteris tradere volunt, mandant, suae immortalitati male consulunt, et docta lingua nobis videtur nulla esse posse, nisi quae in ore hominum esse desiit. Ad quam quidem causam accedunt duae aliae, prior, quod, si quis sermonem alicui nationi nunc viventi proprium doctorum linguam facere velit, omnes nationes, certe quae literas excolunt, suo jure et omnino pari postulaturae essent, ut sua eligeretur lingua, nec patet, qua ratione lis dirimi possit, quem arbitrum hujus rei constituere fas sit. Altera, eaque praecipua, in eo inest, quod quae controversiae doctorum hominum sermone patrio habentur, saepissime multis damno sunt, dum innotescunt plebi, quae non satis erudita est ad res controversas dijudicandas, ex quo saepe dubitationes existunt argentes. Quantum quidem detrimenti disceptationes ad religionem pertinentes jam saepius hominum generi attulerint, non opus est fusius exponere. Quod si respexeris, non poteris latinae linguae graecam nec graecae latinam praeferre, quia neutra amplius in hominum ore est. Nam hodierna Graecorum lingua non eadem est atque antiqua, de qua nos verba facimus. Ergo in hac re utraque pariter apta est ad doctrinam inter doctos divulgandam.

His igitur praemissis ad rem ipsam accedamus ac singula, quibus graeca lingua latinae praestare videtur, si alterutra ad usum literarum eligenda est,

*) Liceat modo duorum vocabulorum ex Lutheri versione librorum sacrorum mentionem facere. Alterum est: einfältig, (Matth. VI. 22., Luc. XI. 34.) quod non stultum, ut vulgo hodie, sed integrum, qui doli expertus est, indicat, (ἀπλοῦς, simplex, non bilinguis eo sensu, quo haec vox a Virgilio Aen. I. 661. adhibetur), alterum: Bescheidenheit (2. Petr. 1., 5. 6.), quod non modestiam significat, sed cognitionem (γνώσιν) intelligentiam, qua homo res bene distinguere (scheiden) potest, et interroganti respondere (Bescheid geben).

perlustremus. Eam majorem vocabulorum copiam habere quam latinam, vel ex vocabulario utriusque linguae, si comparaveris, apparet, et inprimis ex Ciceronis libris disci potest, in quibus hic peritissimus latinae linguae atque in ea adhibenda, conjungenda atque huc illuc vertenda versatissimus saepius graecis verbis uti coactus est, quum sermo latinus ad omnes res, quae ad literas pertinerent, designandas non suppeteret.

Sic habet ἀδιάφορον de fin. III. 16. 53. quod quidem non male: indifferens interpretatur, προηγμένον et ἀποπροηγμένον, quod explicat: productum, (verbum e verbo) promotum et remotum vel praecipuum et rejectum, de fin. III. 15. 51. Sunt enim ex opinione Stoicorum res suaves minime bona, neque injucundae mala, nec tamen absurde dicebant, dolorem et sensum jucunditatis plane eundem esse et nos pariter afficere, sed illum aliquid ἀποπροηγμένον, quod alienum, remotum sit a praeferendo, hunc προηγμένον i. e. praeferendum esse putabant. Haec graeca vocabula rei sunt propria et adeo nostratibus cognita; latina minime nota sunt. Legis apud Ciceronem τελικά ibid. III. 16. 55. i. e. quae ad summum bonum, ad finem honorum pertinent, de qua voce Cicero, „nam hoc ipsum“, inquit, „instituamus, pluribus verbis dicere, quod uno non poterimus, ut res intelligatur“. His opponuntur ποιητικά, quae in latinum transfert: efficientia, et videtur intelligere ea, quae aliquid boni producunt. Τελικά ad ipsum summum bonum pertinent, sunt actiones honestae, at ποιητικά aliquid boni efficiunt. Nihil de his bonum esse dicit praeter amicum. Videtur ea intelligere, quae in communi vita utilia sunt. Ergo τελικά finem in se habent, ποιητικά ad finem aliquem tendunt. Sapientia Ciceroni est τελικόν, quia est conveniens actio, et simul ποιητικόν, quia honestas actiones affert et efficit, ergo utrumque.

Distinguunt Graeci ωφέληματα et βλάμματα, quae verba reddit Cicero: emolumenta et detrimenta, ab iis, quae dixerunt εύχρηστήματα et δυσχρηστήματα, ex Ciceronis interpretatione de fin. III. 21. 69. commoda et incommoda. Sunt illa utilia et noxia, haec vero, si originem spectas, sunt juvantia et impediencia, vel ad bonum, vel ad malum adhibenda. Όρμή de fin. IV. 14. 39. est naturalis appetitio Cicerone teste, (quae vox non nisi per duas latine reddi potest). Εξωτερικόν, quod ad eos scriptum est, qui non sunt initiati, interpretatur Cicero: populariter scriptum, notione non exhausta, de fin. V. 5. 12. Εύθυμία est ea animi affectio, qua animo bene est; Cicero vocabuli vim non plenam reddens explicat: securitas, quae est animi tanquam tranquil-

litas, Fin. V. 8. 23. *Ἀγέλαστος* ibid. V. 30. 92. homo sine risu, dicitur M. Crassus, quia non solebat ridere. Semel eum risisse ait Lucilius. Vocabulum bene conformatum latine reddi nequit. *Κατόρθωμα* et *καθῆκον* apud Ciceronem offic. I. 3. 8. est officium perfectum, quod rectum sequitur, et medium vel commune, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Illud ab *ὀρθός* significat: quod recte factum est, hoc, quod convenit, decet, ab *καθήκω*, advenio, uti nos dicimus: was einem zukommt. *Ἐύκαιρία* vertitur a Cicerone Fin. III. 14. 45. opportunitas, in qua versione notio vocis *εὖ* desideratur. *Ἡδονή* secundum Ciceronem Fin. III. 10. 35. est laetitia, quasi gestientis animi elatio voluptaria. *Πάθη* ibid. his verbis interpretatur: perturbationes animorum, quae vitam insipientium miseram acerbamque reddunt, atque ipse addit: „poteram ego verbum ipsum interpretans morbos appellare, sed non conveniret ad omnia. Quis enim misericordiam, aut ipsam iracundiam, morbum solet dicere? at illi dicunt *πάθος*. Sit igitur perturbatio, quae nomine ipso vitiosa declarari videtur.“ *Ἐπιγεννηματικόν* Fin. III. 9. 32., ducendum a *γεννάω*, quod ex priore quodam genitum est, Cicero dicit posterum quodam modo et consequens. *Κατάληψεις* Fin. III. 5. 17. Cicero adhibet, quod sua vocabula: rerum cognitiones, minus intelligi arbitratur. Sunt re vera comprehensiones, nostrum: Begriffe*). Ergo qui omnium maxime gnarus latini sermonis fuit, ut rem clarius exponeret, graeco verbo uti coactus erat. *Ἀδιαφορία* est Zenoni summum bonum, quod inesse putat in eo, quod homo rebus, quae inter virtutem et vitium, virtuti contrarium, mediae sunt, neutram in partem movetur, *ἀπάθεια* vero in eo inest, quod secundum Pyrrhonem illas res ne sentit quidem sapiens, Acad. IV. 42. 130. *Ἐπιδεικτικόν*, demonstrativum dicendi genus est illud, quod quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum est, Orat. 11. 37. Sed satis jam ostendimus, Ciceronem elegantissimum ac copiosissimum scriptorem et oratorem Romanum inprimis in rebus phi-

*) Narrat originem vocis Cicero Acad. IV. 47. 145. Zeno enim gestu probavit, etiam insipientem multa comprehendere, at scire neminem rem ullam, nisi sapientem. Extensis digitis adversam manum ostenderat. Visum, inquit, huiusmodi est. Deinde quum paullum digitos constrinxerat, assensus huiusmodi. Tum quum plane compresserat pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat, qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, *κατάληψιν* imposuit. Quum autem laevam manum admovebat et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat, cuius compotem nisi sapientem esse neminem.

losophicis, quia philosophia graeco sermone maxime exulta est, sed etiam in aliis, vocabula graeca patrio sermone praetulisse, nec nisi circumlocutione ea potuisse reddere.

Addam verba ex Xenophontis libro de re equestri cap. 7. petita, quae vix latine uno verbo reddere potes, simplici passu vel lento, βάδην (Schritt), decussatim tollendis pedibus currere, διατροχάζειν (traben), gradu tolutili incedere, ἐπιραβδοφορεῖν (galopiren).

Nec deest Ciceronis ipsius de inopia latini sermonis testimonium. Legimus enim in libro de fin. III. 15. 51. „Zeno προηγημένον contraque ἀποπροηγημένον nominavit, quum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis; quod nobis in hac inopi lingua non conceditur.“ Cicero ergo claris verbis graecam linguam dicit copiosam, latinam inopem, et idem fatetur, Acad. I. 6. et 7., se ausurum esse novis et inauditis verbis, si necesse erit, uti, et graecis, si latina ipsum deficient, sed enisurum, ut latine loquatur, nisi in verbis graecis, quibus consuetudo pro latinis utatur.

Nec quanta sit multitudo graecorum vocabulorum recentiore tempore a Kantio in philosophiam receptorum, est, qui ignoret. Aestheticam*), quia αἰσθησις est cognitio rerum per sensus, dicit scientiam regularum, secundum quas res sensibus nostris percipiuntur, et opponit ei logicam, cujus nomen etiam graecum est, doctrinam regularum, quas homo cogitans sequitur, quam quidem partitur in analyticam et dialecticam, graeca itidem verba. Illa continet regulas, secundum quas cognitionis forma exploratur, et in suas notas dissolvitur. Dialectica dijudicat speciem ex ipsa rationis natura ortam. Nomen categoriarum idem ex graeca lingua repetiit, quae sunt notiones principales (originales), quae quidem formae iudicii simplici respondent. Theoreticam et practicam rationem et philosophiam non minus graecis verbis appellat, quamquam, quod, ne linguae latinae injuriam facere videamur, addendum est, haec quidem verba in latinum sermonem ita potes transferre, ut philosophiam et rationem dicas contemplativam atque activam. Alia graeca verba Kantii sunt: autonomia, et quae contraria est, heteronomia, homogeneitas, ea rei natura, qua ejusdem generis est cum alia, Hylozoismus, ea doctrina, quae materiae inertiam esse negat et ei vim quandam, vitam quasi tribuit, nomine ducto ex ὕλη, materia et ζῶον, animal, quia animatam esse materiam docet. Sed nolo pluribus lectores mo-

*) Vulgo hanc intelligunt iudicandi artem de eo, quod pulchrum est.

rari. Hoc unum tantum ex Aristotelis philosophia afferre liceat, quod latine reddi non potest, celebratum illud: *τι ἐστὶ* et *τι ἦν εἶναι*. Prius ad id pertinet atque id complectitur, quod res est, cui multa adjecta sunt, quae ad ejus naturam referenda non sunt, alterum ad id, quod rei *εἶναι* est, i. e. rei essentiam*), ad rem ipsam, ad ejus naturam, ad id, quod facit, ut res haec sit, neque alia**). Sed praeter philosophiam etiam disciplinas alias innumeras res graece denominare quis nescit? Quanta est copia verborum, quae in medicinam, quae quidem ipsa vūlgo non solet graece appellari iatrice, recepta sunt. Sic osteologia, myologia, angiologia, splanchnologia, neurologia, adenologia (*ἀδὴν*, glandula) syndesmologia, anatomia, physiologia, pathologia, pathognosia, nosologia, symptomatologia, semiotice, therapia, chirurgia, botanice, quae omnia uno latino verbo reddere non poteris, graece appellantur. Non igitur dubium est, quin plura graecae linguae sint vocabula, quam latinae, quae in disciplinas illata sunt, quia nulla alia lingua tanta proprietate et brevitate ac simul tam plene perfecteque res designatas significare potest. Neque id mirum, quum ea diutius, quam latina in literis floruerit, a pluribus hominibus doctis exulta sit, atque in pluribus libris omnis generis etiamnunc exstet.

Aque hoc alterum est, cur graeca lingua latinae praefenda sit, quod plures scriptores omnis generis graecos habemus, quam latinos. Oportet enim, ut lingua, quam ad doctrinam aequalibus et posteris tradendam adhibere velis, mutatione non multum egeat, ut igitur ipsa sit locupletissima verborum copia. Talis vero non erit nisi ea, quae in multis iisque variis scriptis nobis superstes est, atque ab omnis generis doctis ad omnia literarum genera conformata. Quodsi quis velit lingua hebraica ad subtilitates literarum enucleandas uti, usu ipso comperiet difficultates, quibus inopia linguae impeditus erit. Multa non, alia non sine ambiguitate exprimere poterit. Cui linguae enim nulla scripta doctorum sunt commissa vel commissa sunt perdita, ea non potest verborum multitudinem habere, quia non omnia verba in paucis scriptis reperiuntur. Nec satis est, multa exstare scripta. Oportet etiam, haec varii sint argumenti ac varia tractent genera literarum. Nam lingua, qua conscrip-

*) De hac voce a Cicerone inventa nec vero in ejus scriptis reperienda lectores rogamus, ut nostrum programma de categoriis 1844. pag. 9. 10. conferant, ubi rem expositam reperient.

***) Haec verba explicuimus in programmate, quo orationes Sylverstainianas indiximus anno 1847. Possis germanice reddere: was ist es? et: was sollte es seyn?

tos unius tantum generis libros habemus, licet sint multi, non nisi huic generi literarum erit apta. Sic hebraicae linguae libri, licet plures sint, omnes ad cultum dei pertinent, et propterea haec lingua ad has tantum res apta, ad alias autem pertractandas minus commoda est; nec orationibus eloquentibus scribendis apta erit lingua, in qua philosophica tantum ad nos pervenerunt scripta, neque haec rebus gestis enarrandis aut poematis pangendis erit accommodata; et linguam, qua conscripta non nisi poemata habemus, sermoni vulgari deprehendes ineptam. In graeca autem lingua omnis generis scripta plura nobis sunt eaque a pluribus auctoribus confecta, quod postremum etiam magni momenti est. Nam totum linguae ambitum cognoscere non potest, cui plurium libros legere non licet, sed tantum unius, etiamsi ejus scripta sint varii generis. Nam etiam in vario dicendi genere idem scriptor similia adhibet verba similemque loquendi modum. Graecorum vero sunt nobis poetae, epicus Homerus, tragici Sophocles, Euripides, Aeschylus, comicus Aristophanes, lyrici Anacreon, Pindarus, philosophi Aristoteles tanta subtilitate ingenii et acumine insignis, quanta nulli Romanorum contigit, Plato, Xenophon, Empedocles, Ocellus Lucanus, Cebes Thebanus, historici Herodotus, Thucydides, Diodorus Siculus, Plutarchus, Dionysius Halicarnassensis, Dio Cassius, geographus Strabo, oratores Demosthenes, Isocrates, satyricus Lucianus, mathematici Euclides, Archimedes, Apollonius Pergaeus, cujus *κωνικά στοιχεία* nota sunt, medici Hippocrates, Galenus et innumeri alii, qui non tantum multitudine, sed maximam partem etiam praestantia superant Romanos, Virgilium Homeri, Hesiodi et Theocriti imitatore, Horatium Pindari et Anacreontis, Ciceronem, Demosthenis et Platonis aliorumque Graecorum, Celsum medicorum graecorum aemulum. Propter quos quidem praeclaros viros lingua latina non quidem inepta est ad literas tractandas; in hac tamen re graecae eam cedere manifestum est.

Sed inprimis hoc in linguae graecae virtutibus praedicandum est, quod ita est conformata, ut constructione verborum ac singulis verbis subtiliter res eloqui et sine ambiguitate possit. Quantum subtilitate praestet latinae, satis hodie docent Grammatici. Nec qui graecae linguae deest ablativus desideratur. Nam per praepositiones, quae vel genitivum vel dativum habent, luculenter exprimitur, et satis compensatur. Etiam veteri linguae latinae deerat, donec posterius in primae, tertiae et quintae declinationis numero singulari a dativo terminatione distinctus est, minus in quarta, quae u saepe in dativo habet. Sed

si lingua graeca hoc casu caret, multas alias formas grammaticas habet, quas frustra in latino sermone quaeris. Ei enim dualis est, quo duos esse intelligendos uno verbo significat, atque in hac re etiam hebraicae praestat, quamvis haec quoque dualem habere dicatur. Nam re accuratius expensa in hebraico sermone aliter formatum pluralem, qui de rebus tantum adhibetur, quae binae conjunctae esse solent, ut pedes, manus, invenis, non vere dualem, qui de omnibus rebus dici queat. Deinde graeca lingua praeter plures modos, de quibus postea dicam, etiam plura verbi genera habet, quam latina. Ad activum et passivum, quod utrique commune est, accedit medium, quod significans, idem actionis subjectum et objectum esse, agentem actione sua ipsum affici, medium inter activum et passivum vere tenet locum. Significatus ejus est reflexivus (sit venia verbo), reflectens actionem in agentem, qui simul efficit et patitur, dum effectus in se ipsum redit. Sic *παύω τινά τινος*, avoco aliquem a re, *παύομαι*, me avoco i. e. desino, *φοβέω*, fugo, *φοβέομαι*, me fugo i. e. fugio, *ἐστεφανώσατο*, coronavit se, coronans erat et simul coronatus (vid. Godofr. Hermannii librum de emendanda ratione graec. gramm. part. I. pag. 177. seqq.). Quod modos attinet, hoc est linguae graecae praecipuum, quod optativum peculiarem habet. Si indicativus apud Latinos et Graecos simpliciter significat, actionem fieri, nulla conditione adjecta, conjunctivus apud priores multiplicem habet significatum. Est enim modo potentialis indicans, aliquid fieri posse, modo conditionalis significans, sub quadam conditione necessario futurum esse, modo imperativus, qui fieri jubet, modo permissivus sive concessivus, qui sinit fieri, modo optativus, cujus significatus hic est, optandum esse, ut fiat, vel, sub quadam conditione, nec tamen necessario, futurum esse. Graecis vero optativus a conjunctivo distinctus est, qui votum indicat vel incerti quid et dubium, praesertim addita particula *ἄν* vel poetica *ζέν*. Si de voluntate hominis dicitur, propensionem ad rem, non certum propositum significat. Idem etiam interdum modeste atque urbane rem certam tanquam suspicionem eloquitur. Possis dicere, indicativum pronuntiare, actionem esse, conjunctivum, eam cogitari talem, quae per suam naturam fieri possit, optativum, eam tanquam rem, quae futura esse cogitari queat, cujus cogitatio sibi non repugnet, vel quae in votis sit, cogitari. In conjunctivo ratio, cur aliquid fieri posse dicitur, est objectiva, inest enim in rei natura, in optativo subjectiva, inest in cogitatione. Latini tantum habent indicativum: amo, indicantem, me id facere, et conjunctivum: amem, i. e. cogito me amantem, talem, qui amare possim;

at deest iis optativus: utinam amem, i. e. cogito me talem, qui amare velim, germanice: ich liebe, ich möge lieben, ich möchte lieben. Neque omittendum, nonnunquam apud Graecos indicativum legi, ubi Latini conjunctivo utuntur, quod ex verbis, quae addita sunt, cognoscitur, imprimis ex sequente *εἰ μὴ*. Sic Iliad. XX. 288. *βάλε*, 289. *ἤρκεσε* et 290. *ἀπήυρα* propter *εἰ μὴ* 291. reddenda sunt: percussisset, arcuisset, abstulisset. Indicant sic Graeci, rem certissime futuram fuisse, nisi quid intervenisset. Praeterea Graeci, quibus non est imperfecti et plusquamperfecti optativus ac conjunctivus, conjunctivum praesentis exprimunt praesentis conjunctivo et conjunctivum imperfecti praesentis optativo. Sic est *ἦλθον ἵνα παρῶ*, veni, ut adsim, sed *ἦλθον ἵνα παρείην*, veni, ut adessem. Accurate Homerus Odys. III. 77. dicit *ἵνα ἔροιτο*, et v. 78. *ἔχρησιν*, quod nonnullis offensionem fuit. Namque prius est: Telemachus allocutus est Nestorem, ut interrogaret (illo ipso tempore), et gloria eum (etiamnunc) habeat. Ita conjunctivus imperfecti non desideratur.

Accedit, quod sermo graecus etiam plura habet verborum tempora, quam latinus. Sunt in quaque actione duo spectanda, modus, de quo diximus, qui ejus ad loquentem atque ad hujus consilium relationem, et tempus, quod quando facta sit, significat. Quodsi Romani non habent nisi praesens, perfectum, hoc quidem tribus formis, ac futurum cum futuro exacto, Graecis etiam aoristus (indefinitum tempus), isque duplex, est. Res indefinite praeterita aoristo exprimitur; non inest in hoc tempore, utrum nunc, an jam olim praeterita fuerit, sed hoc tantum, eam absolute praeteritam esse. Est aoristus tempus Graecorum historicum (narrativum latine dicere possis), cui respondet nostrum imperfectum et latinum perfectum. Nonnunquam aoristus etiam latino imperfecto par est, significans, aliquem aliquid facere solitum esse. Imperfecto Graeci utuntur, si quid nunc praeteritum eo tempore praesens fuisse cogitatur, quo aliud nunc etiam praeteritum praesens fuit, perfecto, si actio praesenti tempore absoluta cogitatur, hoc quidem tempore praeterita, nulla ad aliud relatione habita, plusquamperfecto, si actio nunc praeterita cogitatur eo jam praeterita fuisse tempore, quum aliud nunc praeteritum praesens fuit. Futurum graecum primum et secundum rem significat, quae cogitatur initium captura et perficienda, futurum tertium vero rem, quae futuro tempore incepta jam esse cogitatur, ita quidem, ut in ea pergatur. Ita *φιλήσω* amabo, est: incipiam amare et perficiam, *φιληθήσομαι*, amabor, ero talis, qui amer, *φιλήσομαι*, me incipiam amare et amabo, *πεφιλήσομαι*, amatus ero, initium jam factum erit,

et pergam amari, *μεμιξεται*, mixtum erit, non vero: miscabitur, *μνήμη καταλείπεται*, memoria supererit, relicta erit, non: relinquetur. Sed caret graeca lingua futuro exacto, quod tamen non admodum desideratur, rarius quippe requisitum, et tunc duobus verbis exprimendum: *περιληκώς ἔσομαι*, sicut: amaturus fuero, graece est: *φιλήσων τετυχηκώς ἔσομαι*. Praecipue magni momenti est et subtilitatem adjuvat, quod Graeci alio tempore res factas, quam perfecto narrant. Nam hoc est discrimen inter perfectum et tempus historicum, quod illud proprie id solum, neque aliud, significat, quod praesenti tempore cogitatur perfectum; quare jure praesens perfectum dici potest, sicut plusquamperfectum est imperfectum perfectum. Nam indicat id, quod perfectum jam erat, quum aliud, nunc perfectum, praesens esset. *Ἐπεὶ εἰσῆλθον, πάντα ἤδη κατεύργαστο*, quum meum intrare, nunc perfectum, praesens esset, omnia jam confecta erant. Duo aoristi magis forma quam significatione differunt, et multa sunt verba, quae alterutrum tantum habeant. Sed quod praecipuum graeci sermonis esse videtur, hoc est, quod peculiare tempus habet, quo quae gesta sunt narret. Ergo nec perfecto, ut apud Latinos, nec imperfecto, ut apud nos, duplex et ambigua est significatio, sed utrique distincta. Optime discrimen inter aoristum et perfectum ex his discere potes: *ἐπίσθη ἡ πόλις* et: *ἐπίσται ἡ πόλις*. Prius est: urbs aliquando condita est, narratur, eam conditam esse, neque interest, utrum nunc exstat, an diruta sit; alterum est: urbis condendae labor nunc absolutus est et urbs exstat. Imperfectum historicum, inprimis apud Herodotum VIII. 61. sqq., videtur indicare, narrantem in re narranda praesentem fuisse. Nec praetermittendum subtile discrimen in graeco sermone inter usum participii et infinitivi, si verbum, a quo regitur, praecedit. Legitur participium, si res per se est, neque ex verbo re ipsa dependet; v. c. *οἶδα θνητὸς ὄν*, scio, me mortalem esse. Mortalitas per se est, non ex scientia dependens, *αἰσθάνομαι σε χαλεπαίνοντα*, sentio te irasci; ira alterius non dependet ex eo, quod eam sentio. Contra infinitivus adhibetur, si notio ejus ex priore verbo dependens cogitatur, v. c. *δέομαι σου ἐλθεῖν*, sed *ὁρῶ σε ἐλθόντα*. *Ἀκούω τὰτα γένομενα*, audio haec facta esse, i. e. ipsa facta audio, sed si *γενέσθαι* dicis, hoc dependens ex verbo: audio, magis ad narrationem, quae falsa esse possit, referendum est, quam ad ipsa facta, quae per se sunt, a mea auditione aliena. Latini non ita discrimen facere solent, ac deficit eos quoque participium verbi: esse, et praeterea participium praeteritorum temporum activi, per quae participia Graeci saepissime quod

volunt breviter et praecise eloqui possunt. Sic ut paucis illustrem: παραλαβὼν τὴν μητέρα ἔπλευσεν, latine e verbo reddi non potest, sed explicandum: quum secum sumsisset matrem, navigavit, ἐλθὼν τε εἰς Βαύλους δεῖπνα ἐποίησε, quum venisset Baulos, convivium fecit, πεσόντος Ἀστεροπαίου λαλεῖ, postquam ceciderat Asteropaeus, loquitur.

Accedit ad praestantiam linguae graecae etiam articulus praepositivus, quo multa accuratius definiuntur, quae in lingua latina indefinita relinquuntur. Ille enim indicat, nomen ex iis, quae eodem nomine appellantur, quia nomen generis est, definitum aliquid vel omnibus notum vel antea descriptum significare. Articulo, quem unitatis vocant, linguis recentioribus communi minus opus est, quod hic demonstrat, de re indefinita dici, id quod jam ex articulo praepositivo omisso satis clarum est. Sic ὁ κύων certus canis est, der Hund, κύων, canis, ein Hund. Varium usum articuli apud Graecos exponunt Grammatici. Apud Homerum saepe adhibetur pro pronomine demonstrativo, ut ὁ γὰρ ἦλθε, hic enim (Chryses) venit, Iliad. I. 12., τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, i. e. ταύτην, hanc ego non liberam reddam, ibid. I. 29. Hic articulus imprimis hoc habet commodi, quod infinitivo substantivi significationem tribuit. Sic τὸ φιλεῖν actio amandi est, τὸ εἶναι est rei natura, proprie ejus essentia. Ἀγαθόν est boni quid, τὸ ἀγαθόν, honestum, quod per se bonum est, das Gute. Ceterum Homerus articulo praepositivo pro postpositivo uti solet, sive pro pronomine, quod relativum dicunt, ut: τὸν τέκε Αἰγῶ, II. I. 36., quem peperit Latona, τὴν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων, quam (artem vaticinandi) ei dedit Phoebus Apollo, II. I. 72., plane ut patrius noster sermo der die das saepe adhibet pro: welcher, welche, welches; atque hic articulus adeo nominibus propriis a Graecis praeponi solet.

Nec minus ad subtilitatem sermonis confert discrimen inter duo vocabula negativa οὐ et μή, de quo scripsimus, quum anno 1823. orationes Sylvestrianas indiceremus, ita quidem, ut ostenderemus, μή pertinere ad notionem in enunciato negandam, οὐ ad enunciationem ipsam negandam, vel illud notionem cogitatam, hoc rem externam negare*). Sed praecae caeteris ad subtilitatem

*) Proposuimus in programmate memorato pag. 5. seqq. plures locos, in quibus οὐ pro μή scriptum esse videbatur, nec tamen ita est. Thucyd. I. 137. τὴν οὐ διάλυσιν ita intelligimus: solutionem, quae non facta est, οὐ sc. γενομένην; non notio verbi διάλυσις negatur, nec respondet nostro: Nichtauflösung. Lucian. Pseudomant.

graeci sermonis pertinet particula *ἄν* vel apud poëtas *κέν*, de qua in Godofredi Hermanni opusculis Vol. IV. pag. 3. — 204. uberior dissertatio conferenda est, inprimis de significato lib. I. cap. 3., ubi pag. 9. legimus, tres esse in lingua graeca alias particulas, quae similem, ut *ἄν* et *κέν*, vim habeant, *ἴσως*, *πού* et *τέ*, quibus commune hoc sit, quod sententiae aliquid ambiguitatis addant, eam incertam faciant, sed diversos esse gradus ambiguitatis. Alia enim fieri posse, alia fortuita esse dici, alia verisimilia, alia probabilia. Minime certum id est, quod cur esse statuamus, nulla nobis caussa est, quod tamen esse posse non est negandum. Proximum ei est, quod utrum sit an non sit, fortuitum est, i. e. ex aliqua conditione suspensum. Sequitur verisimile, quod utrum sit, nobis non constat, quod tamen esse potius quam non esse credimus. Postremum est probabile, quod cur esse debeat, idoneam rationem cognovimus, ita ut mirum foret, si non esset. Aliquid fieri posse significat *ἴσως*, aliquid fortuitum esse *ἄν* sive *κέν*, verisimile *πού*, probabile esse *τέ*. *ἴσως*, forsitan, est conjicientis, sed non scientis. Huic adverbio oppositum est verbum nudum sine particula. Fortuita indicantur particulis *ἄν* vel *κέν*, quarum vis latino vocabulo non potest exprimi, quamquam: forte ad eam quodam modo accedit; nec germanicum: etwa ubique accommodatum est. Nam *ἄν* et *κέν* sumentis est, non contententis. Qui ea particula utitur, sumit quidem, ita esse sub quadam conditione, nec tamen contendit. Contrarium est *πάντως*. Verisimilibus indicandis adhiberunt Graeci *πού*, fortasse, nostrum: wohl, quod est opinantis, ita esse, non affirmantis. Oppositum est *ἤ* et *δή*, ejus, qui se

§. 32. *μηχανᾶται τι οὐκ ἄσοφον*, ita explicandum censemus: *οὐκ ἄσοφον ὄν*, i. e. quod non est insipiens. *μη ἄσοφον* esset: excogitavit sapiens aliquid. Ibid.
 §. 26. *εἶτα οὐ χαλεπῶς συνάψας*, quum haud difficulter colligasset. Hic *οὐ χαλεπῶς*, et *μη χαλεπῶς* ita differunt, ut prius sit: colligatio, de qua dicit, non erat difficilis, posterius esset: eam fecit facile. *Οὐ* rem difficilem fuisse negat, et sic ad totum enuntiatum pertinet, *μη* negaret notionem verbi *χαλεπῶς*, et ex ea faceret *ῥαδίως*. Nam notione per *μη* sublata existit contraria. Similiter Matthiae gram. graec. p. 886. §. 600. *οὐ* adhiberi ait, quum primum verbum, et ita tota enuntiatio, *μη* quum unum verbum singulum in illa negetur. Plat. Rep. VI. 486. ed. Astii IV. p. 322. legitur *ψυχὴν σκοπῶν φιλόσοφον καὶ μή*, i. e. *μη φιλόσοφον*. *Οὐ* negaret totam rem, explicandum esset *οὐ σκοπῶν*. In *οὐ φημι*, nego, *οὐκ ἐγώ*, veto, totum enuntiatum negatur, quod quidem uno verbo continetur.

credere affirmat. Probabilia exprimuntur per particulam *τέ*, a qua latinum: fere vel nimirum, non plane alienum esse dicit Hermannus, sed aliquanto fortius; oppositum est *ἀναγκαιώς*. *Τέ* est colligentis, *ἀναγκαιώς* dicentis, necessarium esse. Versu Homeri Odys. I. 197. Hermannus rem bene illustrat. Minerva ibi dicit Telemachum consolans: pater tuus *ἔτι πον ζωὸς κατερούχεται εὐρεῖ πόντῳ*, i. e. verisimile est, eum vivere. *κέν* ab hoc loco alienum indicasset, eum sub quadam conditione, casu quodam, vivere posse. Reddit hoc Hermannus: er lebt etwa noch, quod consolationi aptum non esset, longe aptius *πού*, er lebt wohl noch. Sed satis probasse videmur, in his vocibus subtilitatem discriminum majorem esse, quam quae a latino sermone reddi queat. Dicit etiam Hermannus l. l. Vol. IV. pag. 9. „rogamus lectores, ut has subtilitatum latebras nobiscum perreptare ne fastidiant.“ Saepius etiam *τέ* est copula, quae conjungat cum prioribus ea, quae, licet non necessaria sint, praecedentibus tamen accedunt (vid. Vigeri de idiotismis graecae dictionis ed. Hermanni sec. Lips. 1813. pag. 835.), et *τέ* additum substantivo vel etiam praepositioni, quae substantivo praeposita est, *καί* secuturum significat, ergo cum substantivo aliud conjunctum iri. Ita intelligo v. c. in Xenophontis Memorab. Socr. I. 1. §. 3. *οἰωνοῖς τε χρωῶνται καὶ φήμαις*, auguriis utuntur et vocibus, ibid. §. 4. *ὑπὸ τε τῶν ὀρνίθων καὶ τῶν ἀπαντώντων*, ab avibus et rebus obviis. *Τέ* igitur hanc vim habet, ut moneat, aliud additum iri, cujus rei latina lingua indicem non habet.

Etiam accentus Graecorum ad perspicuitatem multum confert, quem latina lingua nullum habet. Sic *ἔστι* aliud est, quam *ἐστί*. Prius idem est, quod: exstat, invenitur in rerum natura, posterius nil nisi copula, qua praedicatum cum subjecto conjungitur, *ἔστι* vero in se conclusum habet praedicatum. Etiam interrogantis est, accentum in priorem syllabam rejicere. Sic *πότε*, quando? *πόθεν*, unde? *τινες* quinam? et alia. *Ποτέ*, aliquando, *ποθεν*, alicunde, *τινες*, quidam. Ita etiam accentus in postrema vocabuli syllaba significat, utrum vox cum iis, quae adjecta sunt, sit conjungenda, an ab iis separanda. *θεός* scribitur, si conjungendum est cum iis, quae sequuntur, *θεός* autem, si separandum est. Ille est accentus conjunctivus, hic distinctivus. *)

Quem juvat subtilitatem linguae graecae plane perspicere, eum ablegamus ad

*) De qua re Sylverstainianas orationes indicentes scripsimus ann^o 1820. programma de acuto distinctivo et conjunctivo ac de voculis procliticis.

Godofredum Hermannum de emendanda ratione graecae grammaticae part. I. Lips. 1801. et ejus Opuscula Vol. I. p. 63. sqq. II. pag. 18. et 40. sqq. IV. pag. 3. sqq.

Quartum erat, linguam graecam doctis maxime eo commendari, quod ingeniosa compositione notionum, vel tropico usu ex similitudine lepide petito novam notionem accommodatissime extricat. Sic dicitur περιδέξιος, circumdexter, ab utraque parte dexter, i. q. ἀμφοτεροδέξιος, cujus laeva manus aequae agilis est atque dextera, γενεαλογία, generis recensio, παρεκβολαί, juxta ejecta, i. e. excerpta ad aliquid interpretandum adjuncta, παροιμία, quod juxta viam est, dictio in ore plebis, in via igitur obvia, proverbium, ἀλιμυρήεις, in mare fluens, ἐνδοιάζειν, in re duplicem esse, i. e. dubitare, modo id modo alterum probare, ἀσφαλίξειν, aliquem lapsus vel erroris expertem facere, i. e. confirmare in sua sententia argumentis afferendis, ἀσφαλής, qui non labitur, ἀσφάλλομαι, εὐλαβής, cautus, qui bene sumit res et perpendit, unde εὐλαβεῖσθαι, cautum esse, proprie: sibi bene sumere, sich in Acht nehmen, ὁμορόφος, ab ὁμοῦ et ὄροφή, qui simul sub tecto est, contubernalis, ἐντροπή verecundia, proprie: inversio in se, verecundus solet se in se ipsum vertere vel recipere, vultum occultare, γυνόομαι, genua amplexus oro, ἀ γόνυ, genu, παραβάτης, comes, juxta iens, τὸ δυσκαταγώνιστόν τινος, ea alicujus virtus, qua difficile pugna vinci potest, φίλεχθρος, inimicitias amans. Nota sunt ex Arianorum controversiis bene formata vocabula ὁμοούσιος ejusdem, et ὁμοιούσιος, similis naturae, de Christo; ἀρι adjectivis additur ad vim augendam, ut ἐρισθενής, admodum robustus, praepotens, proprie: robore vel potentia certans cum aliis, nemini cedens. Sunt quidem, qui ἀρι interpretentur περί et putent primam literam abjectam esse, quae in nonnullis vocabulis abjici soleat, ut in λιαρὸς pro χλιαρὸς, tepidus, ἵγανον pro τήγανον, sartago, μικρόν pro σμικρόν, parvum. Cfr. Eustathius ad Iliad. VIII. 89. (701. 17.) Videtur idem esse ut ἀρι vocali mutata, quod sunt qui deducant ab αἶρω, tollo, unde ἀρείων, ἄριστος factum est. Ad facetiam tropici usus comprobendam producam vocabulum στόμα, os, quod, quia in anteriore parte corporis est, primum agmen exercitus significare existimant. Sic intelligunt στόμα ὑσμίνης Iliad. XX. 359. primum belli agmen. Eustathius ad Iliad. IV. 254. haec habet: cauda (οὐρά) est postrema acies, sicut os (στόμα) locus antesignanorum (469, 41.). Sed idem ad Iliad. X. 8. os (στόμα), inquit, dicit Homerus de bello propter ejus voracitatem (786. 24.) et ad II. XIX.

313. ita explicat: os (*στόμα*) belli pugnantes exedens (1185, 63.) Bene Vossius II. XX. 359. interpretatus est, caedis fauces (Schlund des Gemordes) reddens. Caedes omnia devorat, sicut os. Aeque apte Iliad. XV. 389. *στόμα* est cuspis conforum, quo pugnaturi erant.

Denique quia multa nova in literis per hominum studia et lucubrationes reperiuntur, ad quae designanda opus est novis verbis, certe nova verborum compositione, etiam necesse est, ut lingua a doctis viris adhibenda sit valde flexibilis et agilis, atque ita comparata, ut componendis verbis facile nova formare possit, ut sit formabilis, si licet Augustini et Prudentii verbo uti, quod ipsum bene formatum est. Nam lingua rigida, quae alia ex aliis fingi vocabula non patitur, doctrinae hodiernae nec apta nec ejus capax est. Latina quidem lingua flexibilitate illa non plane caret, quippe ex qua etiam nova vocabula compositione ficta sunt. Ita, ut unum afferam exemplum, recentissimo tempore machina, qua via ferrea incredibili celeritate currus feruntur, Locomotiva nomine non male formato dicta est, quoniam ea currus loco moventur. Attamen Cicerone teste (cfr. quae supra pag. 8. ex eo excerpsumus) hoc minus conceditur in lingua latina, quam in graeca, quae profecto aptior illa reperitur ad novas res nova verborum conjunctione breviter denotandas. Hinc factum est, ut plurima, quae hodie inventa sunt, e graecis nomen traxerint. Sic, ut quaedam nominem, ars ex suberis cortice aedificiorum imagines formandi dicta est phelloplastica a *φειλλός* et *πέσσω*, machina, qua cogitata celerrime cum longe remotis communicantur, telegraphus ex *τῆλε*, et *γράφω*, et vis, cujus ope hoc fit, electromagnetica etiam vocabulo ex duobus graecis *ἤλεκτρον* et *μαγνήτης* composito nominatur, atque ars celeriter scribendi vocatur tachygraphia ex *ταχύς* et *γράφω*, apparatus, quo res minores oculis majores in pariete repraesentantur, graeca voce megascopus, et instrumentum, cui subjectae res minimae majores apparent, microscopium dicitur, ac celebris glyptotheca, in qua sculptilia, et pinacotheca, in qua imagines asservantur, quae utraque Monaci floret, graece nominatur, nec minus tubus varii coloris et variae formae rebus impletus, qui concussus varias pulcras imagines oculis demonstrat, graeco nomine caleidoscopus vocatur, a *καλός*, *εἶδος*, et *σκοπέω*, et recens inventa machina, quae si magna celeritate in orbem vertitur et rotatur, multiplices praeclaras ac splendidissimas imagines producens spectatorem magna perfundit voluptate, chromatropus (Farbenwender) a graecis *χρῶμα* et *τρέπω* nominatur. Artem naturam excipiendis solis radiis pingendi novo

verbo dicunt Daguerrotypiam voce hybrida ex nomine inventoris Daguerre et graeca voce τύπος. Et quae multorum admirationem hodie movit, nova ars medica similia similibus sanans novo verbo ex graecis formato homoeopathia nuncupatur ab ὅμοιος, similis, et πάθος, affectio, ergo rationem indicat, aliquem per res similes afficiendi vel in morbum rebus similibus vim exserendi. Vetus ratio medendi nomine allopathiae opponitur, ab ἄλλος et πάθος, ratio, qua morbus per aliud afficitur, re alia vel dissimili curatur. Dicitur etiam allopathia, quia ἄλλοῖος est: alius generis, ergo est affectio per res alius generis. Pari modo recens inventa anaesthetica graeco nomine ita appellantur, quia homines ἀνασθήτους i. e. sensus expertes reddunt, qualis est aether sulphureus. Etiam ingentes belluae, quae in prisca orbis terrarum aetate vixisse putantur, et quarum compages ossium nuper repertae sunt, nomina graeca habent, ut Megatherium, ex μέγας, magnus, et θηρίον, rapax bestia, Dinotherium, a δεινός terribilis, Palaeotherium, a πάλαιος, priscus, Acrotherium, ab ἄκρος, sine cornu, Hippotherium, ab ἵππος, equus, Gomphotherium, a γόμφος, clavus, h. l. videtur dens esse, quo ferit, habet enim tales dentes in utraque maxilla, elephas tantum in superiore, Hydrarchus vel Zeuglodon, illo nomine ex ὕδρος, serpens aquaticus, et ἀρχός, princeps, hoc ex ζεύγη, jugum, et ὀδούς, ionice ὀδών, dens, sed etiam apex eminens, et vertebra colli secunda, petito*), Mylodon, a μύλος, lapis et dens molaris, Xiphodon, a ξίφος, ensis, et os formam gladii habens in dorso loliginis, Mastodon, a μαστός papilla, h. l. tuber, quod in dentibus habet, papillae simile, Lophiodon, a λοφιά, clivus, eminentia, sic dictus ob tubercula in dentibus molaribus, Megalonyx, magnos ungues habens, ab ὄνυξ, Megaceros, magna cornua habens, a κέρας, et plures aliae**).

*) Zeuglodon dictus esse videtur, quia, si maxillas claudit, cuspides dentium maxillae superioris cavo quodam recessu tanquam jugo recipiuntur, vel quia longos transversarios processus (graece aptissime ἀποφύσεις nominantur) in vertebrae colli habet, ita ut ζεύγη i. q. ζυγός, tignum transversarium, quod etiam jugum dicitur, significet. Quare quoque Macrospondylus vocatur, a μακρός longus et σπόνδυλος, vertebra. Hujus animalis descriptionem typis exscribendam curavit Celeb. Kochius, qui ejus compagem ex ossibus repertis composuit.

**) Multa bestiarum, quae partim interierunt, partim adhuc vivunt, nomina graeca dat historia naturae, v. c. Burmeisteri Handbuch der Naturgeschichte, tom. II. Berol. 1837., ubi pag. 796. lin. 1. Chaeropotamus pro Cheiropotamus, habet enim χείρα, i. e. proboscidem, legi videtur.

Ex quibus satis patet, linguam graecam maxime idoneam esse ad novas res apte denotandas atque propterea ad usum hominum doctorum accommodatorem lingua latina.

Sed praeterire non possumus, Germanis inprimis graecam linguam magis quam latinam ad usum commendari, propterea, quod nostrae linguae similior est. Habet enim, ut nostra, articulum, habet eandem infinitivi formam nobiscum. Vocis enim radici nostra lingua addit en, graeca ειν, et ει similiter nostro e pronunciatum esse probabile est. Vid. God. Hermanni liber de emend. rat. graec. gramm. pag. 53. Etiam graeci perfecti reduplicatio, quam Grammatici dicunt, syllabae ge, quae participiis perfecti apud nos praeponi solet, ut: gegeben, gelobt, gesprungen, simillima est; et, quod mirum videri possit, permulta graeca verba in nostram linguam adscita sunt, ex quorum numero pauca recenseam: ἀποθήκη, locus ubi aliquid reponitur, Apotheke, βαλλισμός, tripudium, saltatio, Ball, a βαλλίζειν, crura jactare, a βάλλειν. Fortasse etiam pila lusoria apud nostrates a βάλλειν, quod jactatur, Ball dicitur. Βάρβαρος est nostrum: Barbar, βούτυρον, Butter, (ex βοῦς, bos, et τυρός, caseus, caseus bubulus) βράζειν, βράσσειν, prasseln, βράχειν, krachen, βραχύνειν, brechen, proprie: brevem reddere, τὰ βρωτά, Brot, esculenta a βιβρώσκω. γράφειν, schreiben, κάμινος, Kamin, κάμηλος, Kameel, κολάζειν, kalaschen, propr. castigare, λείχειν, lecken, λίνον, Lein, νεῦρον literis transpositis Nerv, πιπίζειν, ripen, πλανήτης, Planet, πλαταγεῖν, platzen, de sonitu vehementiore, πλάτανος, Platane, προφήτης, Prophet, σκατός*) merda, unde nostrum: in Skat legen, i. e. rejicere inter quisquillas, cfr. nostrum programma: Alphabetisches Verzeichniss mehrerer in der Oberlausitz üblichen Redensarten, Gorlic. 1828. pag., 11., σπονδάζειν, sputen, sedulo et festinanter facere, στείχειν, steigen, quod saepius significat: ire, sed Odys. XI. 17. de sole in coelum adscendente adhibitum reperitur, στήναι ab ἴστημι, stehn. στίον vel στείον, Stein, lapis, τρίβειν, reiben, ubi τ prima litera abjecta est, ut in τήγανον abjici solet, vid supra pag. 17. Alia non quidem a Germanis recepta, sed ad verbum expressa sunt: ut ἀπόπατος, Abtritt, latrina, proprie secessus, et παριστάναι, beistehn, adjuvare; etiam notissima vox Protokoll ex graecis vocabulis ficta esse videtur, ex πρώτος,

*) Est genitivus nominativi τὸ σκώρ, merda. Nominativus τὸ σκατόν vel ὁ σκατός vel τὸ σκάτος suspectus est. Cfr. Lobeck Phryn. pag. 293.

primus et κολλᾶν*), agglutinare. Est igitur proprie primum folium agglutinatum, quod tabelliones, qui hodie notarii nominantur, jussi erant non incidere, sed insertum relinquere, quia habebat magnam auctoritatem; nam in eo erat appellatio comitis largitionum i. e. thesauri publici, sub cujus cura erant tabularia. Vid. Novell. constitutt. Justiniani Lugd. 1604. p. 259. novell. 44. inpr. cap. 2. pag. 263. Quia in novellis Protocolum scriptum legitur, possit esse primum *κόλον*, primum membrum periodi vel fasciculi, a quo, quia primum erat, totum nomen accepit**).

Putamus igitur, hoc effectum esse, linguas, quae in ore hominum non amplius sint, aptissimas esse rebus ad literas pertinentibus tractandis, et ex his graecam magis idoneam, quam latinam. Quia autem multae dialecti linguae graecae difficultates moturae essent, suademus una eademque, eaque attica uti, ne harum varietate utilitas linguae ejusdem a doctis adhibendae minuat. Nec tamen non intelligimus, pro rerum conditione vix fieri posse, ut hodie graecae linguae cedat latina.

Sed jam fungamur officio, ejus caussa haec scriptio emissa est. Solet enim Gymnasium nostrum quotannis memoriam Rudolphi Ferdinandi Liberi Baronis a Sylverstain et Pilnickau, cujus de nostra schola merita verbis non satis praedicari possunt, pie recolere. Quod quidem cras facturum est. Erit vero solennium haec ratio.

Primum ipsi verba faciemus de eo, quibus de caussis hominibus immortalitas speranda sit.

Deinde tres prodibunt juvenes, beneficii Sylverstainiani participes,

Carolus Robertus Alexander Beisert, Sprottaviensis, primae classis praetor, quae commoda animi cultura populi humanae societati afferat, demonstraturus,

Carolus Joachimus Thomas Haupt, Cottwitio-Saganus, civis primae classis, fidem non esse vanum aliquid aut fictum, expositurus, et

*) Jota subscriptum omittendum esse, probat Fr. Aug. Wolfius in libro: *Litterar. Analecten*, Vol. I. Berol. 1817. p. 419, sqq.

***) Permulta alia verborum graecorum, ex quibus lingua nostra germanica fecit, olim enumeravimus in programmate: *Gründe zur Empfehlung der griechischen Sprache*, 1809. p. 13. — 20. Eorum numerus permagnus est.

Joannes Reinholdus Conrad, Gorlicensis, tertiae classis adscriptus, mortem tantum iis terribilem esse, quorum memoria cum vita exstinguatur, non iis, quorum gloria nunquam interire possit, argumentis probaturus.

Omnes orationes patrio sermone habebuntur. Quare Gymnasii nostri et eorum, qui in illud beneficia contulerunt, fautores observantissime rogamus, ut praesentia sua, se beneficia in Gymnasium collata non parvi pendere, declarare velint. Quod si fecerint, grato agnoscemus animo.

P. P. die XXVIII. Maji MDCCCXL.

Joannes scriptus, morteria cum vita quam interire

Omnes orati et eorum, qui in mus, ut praesenti declarare velint.

P. P. die X

tertia classis ad quorum memoriam gloria nun-

are Gymnasii nostri bservantissime rogata non parvi pendere, mo.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

- R 
- G 
- B 
- W 
- G 
- K 
- C 
- Y 
- M 

- A 1
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- M 6
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- B 15
- 17
- 18
- 19

